



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manuale Episcoporum Pro Decretis in
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

Tutela.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

Pœnitentiario, sed pro Theologo, ex *Trid. sess. 5. cap. 1.* si fiat secus, habenda est confirmatio à Papa.

- 4 Præbenda debet esse integra, decisum refert *Garz. loco cit. num. 128.*
- 5 Si vacaret præbenda insufficientis, potest Episcopus, altera vacante, ambas applicare Theologo, dummodo canonici habeant sufficiens stipendium. *Cong. conc. 16. Febr. 1619.*
- 6 Canonicus Theologus, qui resignavit in manu Ordinarij præbendam Theologalem, potest obtinere mediante optione pinguiorem præbendam cum retentione sui stalli in choro. *Congreg. Rit. 2. Sept. 1597.*
- 7 Stante consuetudine in Cathedrali, vt per quemlibet Canonicum habentem præbendam Canonicatui annexam obtineatur vna ex Dignitatibus in eadem Ecclesia, quæ nullum habet emolumentum, sed solus sedet supra canonicos, potest canonicus Theologus dictam Dignitatem obtinere. *Cong. conc. 18. No. 1628.*
- 8 Theologus sedet in loco sui canonicatus, decisum refert *Garz. in addit. ad par. 5. cap. 4. num. 111.*
- 9 Potest Episcopus cogere Theologum ad legendum vsque ad priuationem præbendæ, decisum refert *Barbos. de canon. cap. 27. num. 30.*
- 10 Si ex infirmitate non potest legere, nõ tenetur ponere substitutum; quando vero est ponendus, electio est Episcopi, decisum refert *Garz. par. 5. cap. 4. n. 159.*
- 11 Non solum lucratur distributiones legitime ob lectionem absens, sed etiam emolumenta alia interessentibus dari solita. *Cong. conc. 12. Aug. 1628.*
- 12 Ad hanc lectionem sacre scripturæ tenetur clerus accedere, & ab Episcopo potest cogi. *ead. 11. Aug. 1618.*

Torneamentum.

- 1 **T**aurorum, & ferarum agitatio prohibita fuit sub pœna permittentibus excommunicationis ipso facto. *Pius V. Anno 1567.*
- 2 Qui obierit ibi cum feris congregiendus careat ecclesiastica sepultura idẽ *ibid.*
- 3 Clerici, si intersint, siue beneficiati, siue in sacris, excommunicatione puniuntur. *ibid.*

niuntur. *ibid.*

- 4 Ordinariis præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ, vt impediunt pœnis & censuris. *ibid.*
- 5 In Regnis Hispaniarum prædictæ pœnæ sunt reuocatae his conditionibus; ne fiat in diebus festis, & ita, vt non possit alicuius mors sequi. *Greg. XIII. Anno 1575.*
- 6 In iisdem Regnis eadem concessit *Clem. VIII.* adhortans clericos, ne hac benignitate abutantur. *Anno 1596.*
- 7 Aliquo ibi occiso, vel mutilato, irregulares sunt omnes qui illuc fuerant causa pugnandi, licet non occiderint, aut mutilauerint. *Syluest. V. Torneamentum.*
- 8 Episcopus dispensare poterit cum iisdem *ibid. V. Sepultura. num. 23.*

Tutela.

- 1 **M**iserabilium personarum omnes Religiosi, Clerici, & Episcopi tenentur recipere tutelam. *Sylu. Tutela q. 3.*
- 2 Episcopi non per se ipsos, sed per Archipresbyterum, vel Archidiaconum. *idem ibid.*

Vicarius Capitularis.

Vide Capitulum sede vacante.

- 1 **D**eputatus in causa hæresis debet attingere annum ætatis suæ quadragesimum; alias gesta per eum nulla. *Sbroz de Vic lib. 1. quest. 55. num. 8.*
- V. Archidiaconum. num. 8. Concilium Provinciale. num. 11. 54. Matrimonij impedimenta. num. 29. Præcedentia. n. 30.*

A D D I T I O.

- 1 **N**on debet occupare sedem primæ Dignitatis, sed aliam sedem portatilem. *Cong. Rit. 11. Apr. 1601.*
- 2 Non potest dare licentiam erigendi noua Monasteria. *Cong. conc. 19. Fe. 1633.*

Vicarius foraneus.

- 1 **A**d hoc munus eligantur Archipresbyteri, Archidiaconi, & Præpositi, aliue in dignitate ecclesiastica constituti sin minus Rectores, qui sunt apti. *Prou. 2.*

2 Et